

CAPUT XI.

UTRUM LEX VETUS CESSAVERIT, SEU ABROGATA FUERIT QUOAD OMNIA SUA PRÆCEPTA, ETIAM MORALIA.

1. *De adequata cessatione legis veteris.* — *Cæremonialia cessasse certum est.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Quamvis absolute dictum sit legem illam cessasse, tamen, quia in illa lege varia erant genera præceptorum, et non est certum cessasse omnia, et consequenter est controversum an lex illa dicatur cessasse adæquate, seu secundum se totam, ut ita dicam, vel ratione aliquarum partium habentium quoad hoc rationem specialem, ideo in hoc amplius explicandum est. Supponimus autem distinctionem supra datam de triplici genere præceptorum illius legis, cæremonialium, judicialium, et moralium. Et de cæremonialibus certum esse supponimus illa maxime cessasse, et ratione illorum præcipue dici legem illam cessasse. Ita docent D. Thomas, d. quæst. 103, art. 3, et omnes theologi infra referendi, et tradit Innoc. III in cap. unic. de Purif. post part., et Augustin., l. 6 contra Faust., ubi ita exponit illud ad Coloss. 2: *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum,* etc. Per hæc enim significavit omnia cæremonialia, quæ velut umbra transierunt. Et si quis recte consideret omnia quæ præcedenti capite adduximus, de cæremonialibus præceptis maxime procedunt, ut in puncto sequenti attingemus, ideoque de his nihil amplius disputare necesse est. Posset autem quis objicere quia præceptum solvendi decimas cæremoniale erat, et tamen ejus obligatio durat, ut videntur probare quædam jura dicentia decimas esse jure divino debitas. Sed de hac re satis dictum est tract. 2 de Rel., l. 1, cap. 10, in tom. 1, ubi ostendimus illud præceptum legis veteris, qua parte positivum erat, scilicet, quoad quotam decimarum, cessasse quoad obligationem suam; relictum vero esse quasi exemplar ad cujus instar Ecclesia potuit similem legem statuere; hoc enim prohibitum non est ubi nullum periculum scandali aut falsæ significationis imminet, ut postea videbimus. Eo vel maxime quod præceptum illud quoad illam partem, potest non immerito inter judicialia numerari.

2. *De judicialibus.* — Circa præcepta judicialia potest esse nonnullum dubium, an mortua sint. Ratio autem dubitandi imprimis sumitur ex auctoritate negativa Scripturæ sacræ, quia, cum multis ejus locis legamus cæremonialia præcepta cessasse, nullibi id legimus de judicialibus: signum ergo est non esse parem utrorumque rationem, vel dispositionem; tum quia legis abrogatio non est magis extendenda quam sit expressum a legislatore; tum etiam quia unius expressio videtur tacita alterius exclusio, juxta cap. *Nonne*, de Præsumpt. Antecedens autem patet; nam Act. 15, quæstio suborta præcipue fuit de circumcissione, et consequenter de aliis cæremoniis legis, et de his tantum decretum illud Apostolicum interpretari videtur Cyr. Catech. 17, et de eisdem loquitur Paulus dict. loco ad Col. 2, et de illis dicit fuisse umbram futurorum. Unde tum ibi, tum in epist. ad Rom. et ad Gal., et ad Hebr., in duobus præcipue vim facit, ut ostendat abrogationem illius legis. Unum est, quod lex illa non justificabat apud Deum, sed tantum imperfectam carnis justitiam conferebat. Aliud est quod lex illa erat figura et umbra quæ cessare debuit, adveniente veritate: utrumque autem horum in solis cæremonialibus locum habet, quia sola cæremonialia ordinabantur ad sanctificationem vel justitiam carnis, judicialia enim ad politicam gubernationem pertinebant: et ideo cæremonialia tantum erant per se primo instituta ad significandum, judicialia vero tantum accessorie et quasi per accidens; cessante autem accessorio, non cessat principale: et ita etiam Leo Papa, serm. 6 de Passion. Domini, hanc posteriorem rationem explicans, solum in cæremonialibus declarat legalium cessationem. Accedit quod Augustinus, lib. 6 et 10 contra Faustum, in principio, duo tantum genera præceptorum in illa lege distinguit: quædam vocat vitæ agendæ, alia vitæ significandæ, et hæc posteriora dicit cessasse, non vero priora. At vero præcepta judicialia spectare videntur ad præcepta vitæ agendæ, vitæ (inquam) politicæ et civilis: ergo illa non cessarunt ex sententia Augustini.

3. *Lex vetus abrogata quoad omnia præcepta judicialia.* — Nihilominus certa conclusio est legem veterem cessasse, seu abrogatam esse quoad omnia præcepta judicialia. Ita docet D. Thomas, q. 104, art. 3, ubi Cajet., Conradus et cæteri expositores id supponunt ut certum, estque commune dogma theologo-

rum. Unde videtur de fide certum, quia licet in Scriptura in particulari non sit expressum, continetur in generalibus locutionibus quas Ecclesiæ traditio et communis consensus theologorum interpretatur. Talis est regula Pauli ad Hebr. 7: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat;* sicut enim vetus sacerdotium simpliciter ablatum est, ita et lex vetus quatenus positiva erat, et cum illo sacerdotio erat conjuncta. Alia generalis locutio Pauli est ad Ephes. 2: *Medium parietem maceris solvens, legem mandatorum evacuans:* nam lex mandatorum sine dubio judicialia comprehendit, quæ erant non parva illius materiæ pars. Aliud principium ejusdem Pauli est illud ad Rom. 7, ubi de uxore ait: *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri;* ex qua similitudine infert: *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per mortem Christi.* Ubi simpliciter dicendo *legi*, totam intelligit, et nihil excludit. Facit etiam illa universalis ejusdem locutio ad Galat. 5: *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ:* nam inde virtute significat, evacuata circumcissione, evacuatam esse universam legem, ac subinde etiam judicialia præcepta fuisse sublata. Præterea hoc principio utuntur theologi in materia de matrimonio, et similibus, quando tractant an prohibitiones aliquæ illius legis durent nunc. Ut, verbi gratia, an accedere ad menstruatam etiam matrimonio conjunctam sit peccatum mortale, sicut olim videtur fuisse, quia erat prohibitum sub pena mortis, Levit 20; nam sub distinctione respondent, si lex illa fuit judicialis, non obligare; si autem materia erat moralis, ex ea parte posse durare, ut patet ex theologis in 4, d. 32, et disputat late Castro, lib. 1 de Leg. pœn., cap. ult.; Sanci., l. 9, disp. 21; et eodem modo disputant de gradibus consanguinitatis vel affinitatis prohibitis in Levitico; de quibus certum est posse Pontificem dispensare in nonnullis gradibus eorum, ut, in casu regis Angliæ Henrici VIII, declaravit Clemens VII de primo gradu affinitatis, in quo supponitur legem illam judicialem cessasse, et hos gradus nunc non esse prohibitos ex vi illius: idem ergo est in omnibus similibus.

4. *Ratio, et responsio ad fundamentum.* — Ratio autem facile reddi potest, respondendo simul ad principalem rationem dubitandi. Nam licet fortasse ex vi solius significationis rerum futurarum, non fuerit necessarium hæc judicialia præcepta cessare æque ac cæremo-

nialia, quod postea videbimus tractando an illa lex sit mortifera; nihilominus propter alias rationes maxime litterales necessarium fuit extinguere præcepta judicialia simul cum cæremonialibus. Prima et potissima est, quam indicavit D. Thomas, quia per Christum sublatus est illius reipublicæ status: ergo etiam cessarunt illæ leges quæ ad statum politicum et conveniens regimen illius reipublicæ ordinabantur, cujusmodi erant judicialia præcepta. Consequentia per se evidens est, quia, sublatis nobis, tolluntur ea quæ sunt in nobis: ergo dissoluto populo, communitate, vel religione pro qua latæ erant leges, desinit talium legum obligatio. Antecedens autem declaratur, quia ille populus, post Christi adventum, desiit esse populus peculiaris Dei: hanc enim prærogativam habuit quamdiu Christum in virtute seu potentia continuit; post Christum vero totus quodammodo mundus, seu Ecclesia Christi Catholica facta est populus peculiaris Dei, juxta illud: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi;* et illud: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalent adversus eam.* Postquam autem judæus populus desiit esse populus peculiaris Dei, desiit etiam divinis legibus gubernari ex obligatione, quia hoc pertinebat ad priorem statum, et ad peculiarem conjunctionem cum Deo.

5. *Alia ratio.* — Unde sumitur alia ratio, quia, mutato principali, desinit etiam accessorium: principale autem in illo populo erat disponi et præparari per legem ad Messiam suscipiendum, et conservari in fide ejus venturi et in cultu unius veri Dei; hoc autem totum mutatum est per Messie adventum, et hac ratione mutata sunt sacerdotium, sacrificia et alia cæremonialia quæ proxime ordinabantur ad illum finem; ergo consequenter etiam judicialia cessarunt, quæ proxime pertinebant quasi ad temporalem gubernationem quam Deus ad priorem ordinaverat. Unde etiam magis confirmatur et explicatur altera ratio, quia leges judiciales supponebant populum Israeliticum ut separatam a gentilibus, et congregatum et ordinatum peculiari modo ad spiritualia et supernaturalia, et ideo ordinabant etiam illum in politicis, ideoque, destructo priori fine et fundamento, leges etiam has cessare necessario consequens fuit.

6. *Ad alia testimonia respondetur.* — Et ita respondetur facile ad testimonia quæ ad summum continent auctoritatem negativam, quæ

de se inefficax probatio est. Addo vero in loco Actorum absolute esse sermonem de circumcissione et de lege Moysi, quæ includit etiam judicialia. Ad testimonia vero Pauli, dicitur interdum illum loqui generaliter, vel indefinite, ut vidimus; aliquando vero loqui de cæremonialibus, quia illa erant præcipua, et illis ablatis auferuntur reliqua, quæ erant veluti accessoria, ut explicatum est. Ad Augustinum vero, dicitur sub præceptis vitæ significandæ comprehendisse etiam judicialia, quia revera significabant, et erant figuræ futurorum, ut in superioribus declaravimus: et quamvis fortasse hæc sola ratio non sufficeret ad abrogationem, quia in illis præceptis significatio erat minus principalis, nihilominus supposita alia ratione de destructione fundamenti, et dissipatione, et rejectione illius populi, etiam illa ratio nonnihil juvat: sit ergo certum etiam judicialia præcepta mortua esse et abrogata.

7. *De præceptis moralibus.*—*Quatenus legis naturalis, non esse abrogata.*—*Quid de illis ut tradita fuerunt a Deo? Prima sententia.*—Major difficultas superest de moralibus præceptis; nam de illis opiniones variæ sunt inter Catholicos: nam licet omnes fateantur præcepta moralia, quatenus erant præcepta legis naturalis, non fuisse abrogata, imo nec potuisse mutari, juxta superius dicta in l. 2 de Lege naturali, imo etiam esse confirmata in Evangelio, Matth. 5, ut libro sequenti videbimus, et tradunt Clemens Papa, lib. 6 Constitut., cap. 22 et 23; et Leo Papa, serm. 6 de Jejun. decimi mens., et serm. 4 de Jejun. septim. mens.; et August., lib. 6 et 10 contra Faust., in princ.; nihilominus de iisdem præceptis moralibus prout tradita fuerunt a Deo in lege Moysi, sunt diversæ opiniones. Aliqui enim theologi distinguendum putant inter illa præcepta, ut erant legis naturæ vel Moysi, et priori modo fatentur non cessasse; posteriori autem modo putant necessario esse dicendum jam cessasse. Ita docuit Soto, lib. 2 de Justit., q. 5, a. 4, concl. 2, ubi contrariam sententiam dicit esse falsissimam. Medin. vero, l. 2, quæst. 103, art. 3, quem aliqui moderni sequuntur, putat esse rem certam et indubitam; unde significant esse de fide. Allegatur pro hac opinione D. Thom. 1. 2, q. 98, art. 5, quatenus ait Gentiles obligatos fuisse ad servanda præcepta Decalogi, non quatenus erant de lege Moysi, sed quatenus erant de lege naturæ.

8. *Fundamentum.*—Fundamentum hujus

sententiæ esse videtur quod nos adduximus in præcedenti puncto, quia Paulus, cum ait legem evacuatam esse, absolute et simpliciter de tota lege loquitur: ergo nihil potest a nobis excipi quod sit pars illius legis, et quatenus pars ejus est. Aliqui etiam specialiter expendunt verba Pauli ad Hebr. 7: *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem*, quia etiam moralia præcepta erant infirma et inutilia, quia hæc infirmitas et inutilitas in hoc posita erat, quod talia præcepta non justificabant, quod etiam convenit præceptis moralibus, teste Augustin. de Spirit. et litter., cap. 14 et 17. Hoc vero testimonium non probat intentum, alias eodem probaretur præcepta moralia, etiam ut sunt de lege naturæ, non durare in lege gratiæ, quia cum Augustinus dicit in citato loco, præcepta moralia non justificare, non loquitur tantum de illis præceptis ut contentis in lege Moysi, sed etiam secundum se, et ut sunt de lege naturæ, quia etiam, ut talia sunt, pertinent ad legem factorum, et non ad legem fidei, juxta discursum Augustini dicto lib. de Spirit. et litter., cap. decimo tertio, et epist. 200 ad Asillicum. Nam etiam lex naturalis jubet et non juvat, et ideo etiam illa non justificat, alias Christus gratis mortuus est; est ergo secundum se infirma et inutilis quoad negotium justificationis; tum quia opera ejus ex vi illius non valent ad justitiam obtinendam; tum quia lex illa nec dat, nec supponit in homine lapso vires sufficientes quibus tota possit impleri. Cum ergo ait Paulus: *Reprobatio fit prioris mandati*, loquitur de mandato carnali, de quo paulo antea locutus fuerat, ut D. Thomas notavit; quod proprie erat mandatum cæremoniale, et specialiter sacerdotium, quod per originem carnalem traducebatur, de cujus imperfectione et mutatione ibi specialiter tractabat. Nunquam autem Paulus de lege Decalogi dixit reprobam esse propter ejus infirmitatem et inutilitatem, nec sancti patres aut theologi ita loquuntur, et si permittatur talis extensio in lege morali, ut scripta in duabus tabulis, eadem admittenda erit in lege naturali; constat autem in lege naturali non posse verificari quoad substantiam et obligationem præceptorum ejus, sed ad summum quoad imperfectionem status quem habebant ante legem gratiæ: ergo idem dici poterit de lege morali, ut per Moysen tradita.

9. Solet etiam hæc sententia probari ex variis testimoniis epistolæ ad Romanos, quæ

supra adducta sunt ad probandum legem illam cessasse, et præsertim ex cap. 7, juncto cap. 3 ad Corinth. 2; nam in illis Paulus absolute dicit nos liberatos esse a lege mortis, et a littera occidente, *ut serviamus in novitate spiritus, non in vetustate litteræ*, sicut etiam de Christo dixit ad Eph. 2: *Legem mandatorum evacuans*; nam lex mortis includit etiam præcepta moralia, nam ad illa pertinet prohibitio *Non concupisces*, quæ moralis est, ut Augustinus supra ponderavit, et lex mandatorum sine dubio includit prima mandata, qualia sunt Decalogi. Hæc vero omnia non convincere, et objectione facta ostenditur per deductionem ad absurdum. Nam eodem modo ex illis testimoniis inferri posset legem Decalogi, ut erat lex naturalis et obligabat Gentiles, semperque obligavit fideles omnes a principio mundi existentes, abrogatam esse et cessasse in lege gratiæ, quod esset plane hæreticum. Probat sequela, quia etiam lex illa dicebat et docebat, *Non concupisces*, et tamen non justificabat, nec juvabat, ut sæpe dictum est; ergo ut sic erat lex mortis; ergo liberati sumus ab illa: item erat lex mandatorum; ergo evacuata est per Christum. Hic ergo necessario dicendum est, et legem illorum mandatorum, quoad substantiam et obligationem, non esse ablatam in lege gratiæ, et in ea datum esse spiritum et abundans auxilium quo impleri possit, et ita factum esse ut nunc non sit lex mortis. Idem ergo dici poterit de lege Moysi quoad præcepta moralia; unde simpliciter verum est liberasse nos Christum a lege mortis, non tamen eodem modo ab omnibus præceptis ejus.

10. *Tertia probatio.*—Tandem solet probari illa sententia ex alio loco Pauli ad Galatas cap. 3, ubi prius dicit legem fuisse pædagogum, et postea subdit, *Postquam venit fides, jam non esse nos sub pædago*: nam ibi nomine legis Decalogus etiam comprehenditur, nam pars illius pædagogicæ erat instructio circa præcepta moralia Decalogi. Sed minus cogit locus hic; nam imprimis fere omnes expositores de lege cæremoniali, vel saltem de lege ratione cæremoniarum, locum illum intelligunt: nam per illam custodiebatur ille populus ab idolorum cultu et imitatione gentilium, et conservabatur in fide, et spe Christi venturi, et in hoc consistebat præcipue illa pædagogia. Deinde pertinebant ad illam pædagogiam temporales promissiones et comminationes pœnarum, et quatenus hæc fiebant etiam propter impletionem, vel transgressionem Decalogi, dici potest Decalogum cessasse quoad pæda-

gogiam, non vero quoad obligationem nec quoad substantiam ejus; quia hæc non pertinet ad puerilem statum tantum, sed etiam ad viros spectat. Vel certe, si ipsamet lex Decalogi, quatenus docens et illuminans, pædagogicæ pars appellatur, hæc etiam pædagogia erat in lege naturæ, juxta illud Ps. 4: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, et illa etiam manet in lege nova, non tantum per naturale lumen, sed etiam per litteram veteris Testamenti, et per Evangelicam doctrinam, quamvis nunc dici posset mutasse imperfectionem et statum pædagogicæ, quia cum lege vitæ et spiritus conjuncta est; his ergo testimoniis non satis probatur illa sententia, quæ ideo tetigi, quia illorum intelligentia præsentii instituto necessaria est.

11. *Secunda sententia.*—Est igitur secunda opinio affirmans legem veterem non fuisse abrogatam quoad præcepta moralia, etiam prout in illa lege lata sunt, ac subinde Christianos obligari illa lege quoad illam partem moralium præceptorum. Ita docent Bellarm., lib. 4 de Justit., c. 6, quem secutus est Lorin., Actor. 15, et hanc sententiam sibi maxime placere ait Vasq., disp. 180, c. 3, qui declarat legem veterem per præcepta moralia addidisse, supra obligationem naturalem, obligationem divinam, et neutram esse abrogatam, sed permanere nunc; imo etiam addit eam partem legis Moysi, ut talis erat, obligasse non tantum populum Israel, sed etiam gentium, quia lata est a Deo ut auctore naturæ rationalis, et ideo non debuit ad unum populum restringi. Denique addit etiam promissiones factas in lege veteri observantibus Decalogum, ad Christianos pertinere. Citat pro hac sententia Durand., in 4, d. 1, quæst. 9, n. 8, vel potius 9 et 10; sed ibi tantum dicit decimas et oblationes mansisse in lege nova quantum ad id quod morale est in eis, ubi non loquitur de obligatione antiqua, sed de moralitate operis. Dicit etiam Christum implevisse legem quoad præcepta moralia superaddendo consilia, ex quo nihil colligi potest, quia etiam dicit implevisse præcepta figuralia exhibendo veritatem. Allegat etiam Palud. 4, dist. 1, quæst. 6, art. 5, concl. 2, in qua dicit moralia præcepta non fuisse abrogata: at ex probatione quam adjungit, constat auctoris intentio: *Quia jura* (inquit) *naturalia semper et ubique immutabilia permanent*. Loquitur ergo de præceptis moralibus ratione legis naturæ. Unde in 4, dist. 1, quæst. 9, sic ait: *Quia ratio et æquitas naturalis semper locum ha-*

bet, ideo præcepta moralia pro omni tempore, scilicet, ante legem, sub lege et post legem manere debuerunt. Et ita possent pro hac sententia allegari fere omnes theologi: nam absolute dicere solent præcepta moralia legis veteris in nova obligare; et Paul. Burg., in Scrutinio Script., d. 8, c. 6, in nostro; alias d. 4, cap. 9, alias cap. 77, ubi ait legem veterem, quoad ea quæ non erant de lege naturæ, cessasse, non vero quoad moralia. Eodem modo loquitur Castro. lib. 4 de Leg. pœnal., cap. ult., et alii quos refert. Re tamen vera non intendunt dicere obligare nunc illa præcepta ex vi legis veteris, sed ex vi juris naturalis, sicut durabant ante legem, vel etiam docent nunc per jus evangelicum renovata esse.

12. *Ex Patribus.*—Atque eodem fere modo loquuntur multi ex Patribus, qui pro hac sententia allegari possent, ut patet ex Clem. Rom., lib. 6 Const., cap. 22 et 23, qui diserte loquitur de lege naturali, quam dicit non fuisse abrogatam. Magis favere videri potest Leo Papa, serm. 6 de Jejun. decim. mens., dicens: *Evangelicis sanctionibus, dilectissimi, multum auctoritatis præbet doctrina legalis, cum quædam de mandato veteri ad novam observantiam transferuntur.* Quod declarat serm. 4, de Jejun. septimi mens.: *Ne onerosum videatur, aut arduum, quod et præceptum exigat legis et devotio temperat voluntatis. Quæ cum in unum, gratia Dei auxiliante conveniunt, non littera occidit, sed spiritus vivificat.* Multo vero apparentius serm. 14 de Passion. Domini, cap. 5, cum explicasset ceremonialium abrogationem, subjungit: *In præceptis autem moralibus nulla prioris Testamenti decreti reprobata, sed evangelico magisterio multa sunt aucta.* In his autem locis omnibus loquitur de præceptis legis ratione moralium operum; nam quædam imitatur Ecclesia, vel quia judicialia erant, vel solum secundum aliquam generalem rationem virtutis, mutando modum, ut jejunia, oblationes, etc., et de illis interdum propriam legem profert; quædam vero retinet propter intrinsicam et naturalem obligationem quam habent, quam Christus etiam docuit et confirmavit. In eodem sensu loquitur Bernard., serm. 28 ex parvis, ubi distinguit duplicia præcepta, moralia et figuralia, et addit Christum venisse ut moralia impleantur per gratiam, et alia commutaret, ubi significat non abstulisse priora. In quo imitatus est Augustinum, lib. 6 contra Faust., cap. 2, et lib. 10, cap. 2, ubi similiter distinguit duplicia præcepta, vite agendæ et signi-

ficandæ, et subdit servari a Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vite agendæ, ubi, cum addit etiam ex ipsis libris, vetus Testamentum intelligit; significat ergo servari etiam ex vi ejusdem testamenti et legis. Verumtamen in rigore solum dicit illa præcepta moralia servari a nobis et disci etiam ex veteri Testamento, quatenus naturalia sunt, et ut talia in illo præcipiuntur: et in eodem sensu Epist. 200, in principio, de illo præcepto: *Non concupisces*, ait: *Quod utique a Christianis nullus ambigit esse dicendum.* Paulo vero inferius modum explicat, dum de præceptis moralibus ait, ita esse in illa lege scripta, ut valeant ad informandos mores fidelium, id est, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, etc.; in rigore ergo non dicit valere ad obligationem, sed ad informationem, ut infra explicabimus.

13. Magis videtur favere huic sententiæ divus Thomas, in hac materia; disputat enim distincte quæst. 103, art. 3, de ceremonialibus et judicialibus præceptis, an cessaverint, et ostendit cessasse, de moralibus vero omnino tacite supponens illa non cessasse, quia sunt de lege naturæ, ac subinde immutabilia, ut in q. 100 tradiderat. Clarius vero ad Ephes. 2, lect. 5, ubi tractans illa verba, *parietem maceræ solvens*, objicit verba Christi, Matth. 5: *Non veni solvere legem, sed adimplere*, et respondet: *Dicendum est quod in veteri lege duplicia erant præcepta, moralia, et ceremonialia; moralia quidem præcepta Christus non solvit, sed adimplevit*, etc.; et consequenter inferius ita exponit verbum Pauli *solvens*, intelligendum esse quantum ad observantiam præcepti carnalis, et ita virtute declarat omnia testimonia quæ prior opinio asserebat; unde mirum est aliquem Thomistam ausum fuisse dicere illam opinionem esse de fide, aut indubitam; nam licet hoc testimonium divi Thomæ possit eandem responsionem pati quam præcedentia, nihilominus et difficiliter exponitur, et negari non potest quin evertat similem exaggerationem, ejusque fundamentum.

14. *Testimonia Scripture.*—Præterea afferuntur pro hac sententia varia testimonia Scripture. Primum est illum proxime tactum Matth. 5: *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Nam verba illa videntur intelligenda de lege morali, ut declarant exempla quæ statim Christus subjungit; et de illa lege dicit se non venisse ut illam solveret; ergo nec illam abrogavit. Et confirmatur hoc testimonium, quia

ibidem Christus confirmavit sua auctoritate illa præcepta; imo illa perfectius declaravit reprobatis falsis Judæorum interpretationibus, imo illis etiam consilia perfectionis addidit, quibus modis illam adimplevit, ut Patres exponunt: ergo non est verisimile illa postea abrogasse: et hoc etiam confirmat illud Pauli Rom. 3: *Legem ergo destruimus per fidem? absit. Sed legem statuimus:* nam illud etiam intelligendum videtur de lege morali, quæ per fidem non abrogatur.

15. *Quid dicta testimonia probant.*—At vero prius testimonium apud me nihil probat. Primo, quia sentio illud testimonium intelligi de tota lege, et non de sola morali; tum quia absoluta legis appellatio hoc præ se fert, et nulla est ratio addendi limitationem; tum etiam quia quod statim subdit: *Amen quippe dico vobis, quia iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*, hoc (inquam) de tota lege intelligitur, ut constat etiam Lucæ 16; tum præterea quia Patres omnes ita locum illum intelligunt, et ideo interpretantur quomodo aliter impleverit legem moralem, et aliter ceremoniam; hæc enim erat figurativa et prophetica, ideoque de illa maxime dicitur quod *iota unum non præteribit donec omnia fiant, et facilius esse cælum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere*, ut ait Lucas. Tum etiam quia Christus dixit illa verba, ut innocentiam suam ostenderet, et sic falsæ accusationi Judæorum occurreret, quia illum dicebant esse transgressorem legis; et discipulos suos præmoneret, quando legem divinam tractare deberent; neutrum autem expleret, nisi de tota lege absolute loqueretur. Unde secundo, non cogit ille locus, quia (ut ex hac ratione constat) ibi *non solvere* non est *non abrogare*, ut necessarium sit illud restringere ad moralem legem, de qua verificetur; sed, *non solvere*, est *non transgredi* illam, nec implere dum obligat, seu pro tempore pro quo lata est: nam tollere legem post impletum tempus pro quo fuit lata, non est transgressio, nec injuria legis, cum sit voluntas legislatoris, imo illud ipsum est implere legem.

16. *Solvitur confirmatio.*—Et ob eandem etiam causam non urget confirmatio, quia esto Christus ibi confirmaverit præcepta Decalogi pro lege sua (quod libro sequenti ex professo examinabimus), non sequitur nunc obligare moralia præcepta ex vi legis Moysi; imo oppositum inferri potest, quia posita nova lege positiva divina circa eandem materiam, jam non

erat necessaria antiqua. Neque inde sequitur aliquid superfluum, vel ridiculum (ut quidam loquuntur), sed potius est ordo connaturalis inter duas leges quarum una tantum usque ad certum terminum lata fuerat, et ad illum pervenit, et alia loco illius succedit. Nam si contingit communicare in aliqua parte materiæ, in illa jam non est obligatio ex vi antiquæ legis, quia finita est, sed ex vi posterioris: unde non potest dici supervacanea abrogatio, quando est cessatio ab intrinseco ex vi termini in priori lege præscripti, sicut contingit in lege veteri, ut supra declaratum est. Dicere autem terminum illum positum esse pro lege illa ut ceremoniali et judiciali, non vero ut morali, voluntarium est, cum Scriptura simpliciter de tota lege dicat fuisse positam donec veniret semen, et similia. Neque est inconveniens quod in materia necessaria et perpetua ponatur lex temporalis, quia hoc pendet ex voluntate legislatoris, et quia post illam legem divinam danda erat alia ab ipsomet Deo, quæ moralia illa præcepta altiori modo comprehenderet.

17. *Locus Pauli explicatur.*—Alter vero locus Pauli eodem modo quo præcedens intelligendus est: nam licet ibi maxime loquatur Paulus de lege ceremoniali, non tantum de illa sola, sed simpliciter de lege, de qua dixerat Rom. 3: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo; et: Per legem cognitio peccati:* et eandem vocat *Legem factorum*, quam a *lege fidei* condistinguit. Eodem ergo modo loquitur de lege in illis ultimis verbis; in eis autem *legem destruere, vel statuere*, non est *legem abrogare, aut sustinere*. Sed *destruere* est legem damnare, aut tanquam pravam rejicere; *statuere* autem est eam defendere, ejusque proprium statum, conditionem et officium ei tribuere, et quomodo per fidem fulciatur exponere. Quod tam verum est de moralibus quam de ceremonialibus præceptis, ut omnes ibi, et præsertim D. Thomas exponit, qui etiam hunc locum per alterum Matthæi, capite quinto, declarat.

18. *Suadetur dicta sententia.*—Melius videtur posse suaderi hæc sententia nonnullis novi Testamenti testimoniis, in quibus obligatio Decalogi in lege nova ex veteri Testamento confirmatur: nam in eis supponi videntur præcepta Decalogi, etiam ut data per Moysen, obligare Christianos; sic a Jacobo in sua Epist., cap. 2, præceptum illud: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, vocatur *lex re-galis secundum Scripturas*, et tamen illud est